



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Tentauerunt & Germaniam, sed ab Imp. Henrico fortiter repulsi sunt, cæsis 150. millibus: item & paulò post ab Othone, quando eorum Rex Toxys interceptus capite multatus est. Hinc ad Christi fidem conuersi sunt Hungari: primus Rex Gayfca, seu Geyse S. Stephani pater eam amplexus est, quam filij pietas plurimum promouit. De aliis regibus Hungariæ legatur tractatus, qui nuper recusus est in Rep. Hungaricâ.

N V M. 2. *Nomen.*

AB Hunnis prædictis Hungaria dicta, Germanicè *Hungerland*, ab indigenis *Magiar*, vt & à Turcis nominatur: dicti & olim Auari, nisi malis Auaros partem Hunnorum fuisse.

N V M. 3. *Qualitas.*

AER huius regionis impurius est; vnde exteri hîc diu viuere non possunt, sed statim contabescunt. Quare cùm Poloni, aut Germani hîc bellagerunt castra mutare subinde coguntur, ne phtisi Hungaricâ corripiantur. Sordes quoque quæ existunt ex corporibus indigenarum satis aëris putredinem arguunt. Neque aquæ sunt aëre salubriores, omnes insuaues, si Danubium Budam vsque excipias versus Austriâ. De Thermis Hungaricis scripsit libellum Verhnerus. Sale abundat potissimum in Maromarusâ regione, & ad urbem *Somuar* vbi fontes falsi, vnde sal optimum excoquitur. Vinum Pilsense, in Comit. cognomine vbi Buda sita est, celebratur in primis. Hîc tam multæ feræ, vt nisi licita esset rusticis venatio pernicies immineret regioni. De piscium copiâ in Tiffâ Fluvio dicemus in Admirandis. Cæterum illius regionis fertilitatem hoc vnum arguit, quod sæuiente bello inter Christianos & Turcas, iisdem eam ferro flammâque vastantibus, intra quinquennium pristinam formam recipiebat, quasi summo otio & pace vsa esset.

N V M. 4. *Mores.*

MORES antiquorum *Hungarorum* hi celebrantur. Aspectu terribiles erant, omnes sine barba; nam pueris candente ferro genas de industriâ adurebant, quare omnes eunuchi videbantur. Sic indurabant corpora sua, vt neque igne, neque suauioribus cibus indigerent, sed herbis, & radicibus ferè victitarent; carnem non